



Hist. urb. Sax. T. 95.

MELETEMATA QUAEDAM
A D
HISTORIAM NATURALEM TYPHI ACUTI
LIPSIAE AESTIVO TEMPORE
ANNI MDCCCLXXXIX GRASSANTIS
PERTINENTIA.
SPECIMEN PHYSICO - MEDICUM
Q U O D
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
A U C T O R I T A T E
H. L. Q. C.
D. XIII. MENSIS SEPTEMBRIS MDCCC.
PUBLICÉ DEFENDET
IO. FRIDERICUS AUGUSTUS EISFELD
HELDRUNGENO - THURINGUS PHILOS. D. ET BON. ART.
MAG. MEDICIN. CANDIDATUS
IN QUO CERTAMINE
SOCIAM OPERAM IMPENDET
IO. GUILIELMUS KELLER
ZEULENRODA - VARISCUS MEDICINAE BACCALAUREUS.

EX OFFICINA SOMMERIANA.

V I R O

EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO,

CHRISTIANO ERHARDO KAPPIO

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO, SOCIETATIS NATU-
RAE SCRUTATORUM BEROLINENSIS ET OECONOMICAE
LIPSIENSIS SOCIO etc.

PRAECEPTORI AC FAUTORI

HUNCCE LIBELLUM

DEDICAT

EUMQUE SUMMAE ANIMI PIETATIS AC VENERATIONIS

TESTEM ESSE JUBET

AUCTOR.

ОДИН
СИНАЯ ПОДСКАЗКА
ПОДСКАЗКА
СИНАЯ ОДИН

§. I.

Institutio ratio.

Quum permulti inter pathologos ut naturam indolemve typhi acuti indagarent, illius decursum accurate delinearent et eo ipso medendi rationem certiorem redderent, omnem operam dederint, plerisque fortassis ridiculum et supervacaneum et tantum paucis grave utileque videbitur, quod de typho acuto Lipsiae aestivo tempore anni MDCCIC quaedam disserui. Interea vero disputatio de typho acuto ejusque natura seu mere asthenica seu asthenico-contagiosa denuo inchoata et hucusque nondum finita est, ut ille, qui et suis qualia cunque demum sint, subsidiis, bellum gerentibus eum in finem succurreret, quo seditionem sedaret non plane respuendus videretur. Libere igitur fateor me ab eorum partibus stare non posse, qui sibi lubenter persuadeant disputationem rei cujusdam longe protractam, et ideo rite aestimatam prorsusque dijudicatam esse. Etenim si quis opinio num de typho acuto traditarum cohortem attento perlustrare vult oculo, facile videbit, jam in eorum mole diversitateque rationem, cur in ejus naturam ulterius inquirendum sit, latere; sed his missis, neminem fugit febrem istam ad perniciosissimos generis humani morbos pertinere, eamque nonnunquam inter gentes varias et perniciose edidisse strages, quid igitur honestius laudabiliusque est, quam consilium ejus naturam decursumque omnibus indagandi vestigiis eumque ipsum vel plane, delendi vel saltim mitigandi. At fortassis hoc te tangat B. L. me de typho acuto Lipsiae aestivo tempore anni 1799 scribere, quod si esset, tecum reputes quaeso, me multum nostrae urbi debere, ac ingratum fore, nisi omnia, quae in me sint, ad salutem patriae, praecipue urbis nostrae conferre vellem. Etenim quum inter dum acciderit saltim, ut in investigandis morborum causis, eam e qua fontis instar irrigui tanta oriantur mala, quanta primo intuitu vix

A

comprehendere possimus, detegeremus, omnem de typho acuto urbem et regionem aliquam invadente disputationem haud supervacaneam et subsidia ad ejus naturam indagandam haud frustra petita esse arbitratus sum. Inde enim ab eo tempore, quo homines de rebus naturae disputare coeperunt, res alias subierunt mutationes et homines ipsi non amplius iidem, qui olim fuerunt, morbique *enati* sunt veteribus prorsus ignoti. Non autem est, quod in memoriam revocem animum humanum fruges uberrimas tulisse, phantasiae lusus mortalibus voluptates nec non dolores acerbos parasse, reminiscentiae fortitudinem et memoriae hebetudinem eos vel nimis vel parum concitasse, eosque judicii mentisque acumine delectatos e rationis vi omnem cepisse voluptatem; ast proh dolor! his bonis et mala annexa fuere, corporis robur athletarum instar evanuit et mollitiei et desidiae dediti vires vitae prius consumserunt homines quam olim. Quum enim homines non amplius vitam soli agriculturae, venationi, piscationi, navigationique dicarent, sed plurimi eorum vita sedentaria oblectarentur, corporis etiam robur, nervorum quies, vasorum firmitas, musculorum elastica vis et energia tanta non fuit, quanta olim gentes pastorales et venatoriae gavisae sunt. Durius forsitan quicquam dicam, si contendere ausus fuero una cum virtute et scelera enata esse, quibus corporis valetudo secunda, mentis libertas, animique hilaritas nec non infantia morum evanuit, et vita curis et aerumnis obruta, morbi cuiuscunque generis pestiferi et mortis angor plus minusve tristis et terribilis exorti sunt. Hinc etiam mirum non est, si quidam artis nostrae peritissimi auctores cum nonnulli morbi veteribus prorsus ignoti viderentur, contenderent, eos ab illis plane non vexatos fuisse: Granti^{a)} enim aliorumque sententiae in eam partem natant, quibus non parva conciliabitnr auctoritas, si ratum habeamus, causas tunc defuisse, e quibus isti morbi originem suam ducere possent. Quum denique quaevis aetas suos habeat morbos, quorum formae diversae e causis huic aetati propriis dignantur necesse est, eorum rationem habere oportebit, quae vel e coelo diducta vel e terra enata, vel hominum intemperie, cordis atrocitate, lucri cupiditate, belli ferocis ardo-

a) Bemerkungen über die Kur und Heilart der Fieber, I. B. S. 187. ubi asseruit nobisque persuadere studuit Hippocrati febres nervosas prorsus ignotas fuisse.

re et famis bello paratae crudelitate producta esse videantur. Forsan in his causas detegas, cur consilium typhum acutum aestivo tempore anni praeteriti hic grassantem describendi ceperim. Urbem autem nostram, quippe quae cum in commerciis mutandis fere semper occuparetur et ab incolis totius fere Europae nundinarum tempore praecipue frequentaretur stimulis vel potestatibus aut bene aut male in inhabitantes agentibus obrui inter omnes constat. Perpetuus enim fluxus et refluxus stimulorum et erigentium et deprimentium adest, hinc etiam fit ut morbi quidem certi et certis anni temporibus, sed et ambigi et a vento quasi conflati nullo temporis termino terminati appareant. Plura hic afferre possem sed tum ob spatii temporisque angustiam qua premor, tum ob BRAUNII^{b)} amici libellum academicum in quo plura ad nostrum finem facientia legi merentur, non licet.

§. 2.

Varia typhi acuti nomina.

Quum jam GALenus^{c)} docuerit: *in omnibus de quibus quaeritur oportet nomen definiri*, et EPICETUS^{d)} omne erudiendi initium e nominibus definiendis ceperit, ac denique BROTBEK^{e)} omnia fere de voce typhi collegerit et comparaverit, quae etymologia permisit, de ea re, ne molestus fiam et simul officio meo satisfaciā pauca tantum disseram. Typhum igitur acutum variis nominibus insigniverunt auctores nec multū interest, quomodo morbus ab aliquo nominetur, si modo in eo conveniamus, eum et eundem morbum, quamquam alia voce insignitum, intelligere. Unusquisque fere auctor aliud illi impertiit nomen, quod maximam partem a symptomatibus, ab indole maligna et locis, ubi non raro exoriri solet, desumptum est, quorum nonnulla tantum in memoriam revocabo. Alii autem illam febrem putridam, alii typhum acutum nominarunt. CAMPBELLUS

A 2

b) BRAUNE Ch. G. C. Topographiae medicae urbis Lipsiae specimen. Lps. 1798. p. 23, ss.

c) Lib. I. method. c. 5.

d) ἀρχη τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὄνομάτων ἐπισκεψία.

e) PLOUCQUET G. G. r. BROTBEK G. Fr. diss. de febribus neuricis. Tub. 1788. p. 4—6.

typhum seu febrem nervosam contagiosam, PRINGLIUS febrem carceriam et nosocomiorum, SELLIUS febrem acutam nervosam FRANK febrem nervosam versatilem, CULLENIUS REILIIUSQUE typhum acutum, alii et navalem dicunt, alii et ad malignas referunt, sed sufficient haec nomina. Duce CULLENIO febrem, cuius in hac dissertatione describendi consilium cepi, typhum acutum, seu febrem acutam nervosam appellavi, utrum illi prorsus conveniat, an potius febris lenta nervosa et pituitosa mali moris cum statu nervoso conjuncta adeoque putrida dicenda sit, mox infra videbimus.

§. 3.

D e f i n i t i o .

E variis jam hujus febris nominibus appareat typhi acuti notio-
nem etiam variam esse. Plurimi scriptorum putredinis, quae in ty-
pho acuto nonnunquam sub finem locum habuit, in ea febre definien-
da rationem habuerunt; at nunquam in corporis vivi humoribus vera
putredo evolvitur et de ea sanguinis depravatione, quam ita appella-
runt inter ipsos putredinis patronos lis exorta est, ut demum plurimi
fassi sint, non veram putredinem, sed tantummodo majorem ad pa-
trecendum proclivitatem, quae in excretis maxime humoribus appa-
reret in corpore animali vivo locum habere posse. Ea vero sanguinis
depravatio, quam in typho acuto putridam nominant, saepius abest,
in aliis vero morbis, qui nullo modo a putredine derivari solent, ad-
est, ita ut ex ea sanguinis conditione perversa, quae adhuc dubia et
nimis ambigua sit, notio typhi acuti vix exstrui possit. Ast signa
hujus perversae sanguinis mixtionis ut petechias, miliaria, maculas
morbo maculoso haemorrhagico similes in decursu hujus morbi obser-
vavimus, et nonne haec de vera natura putrida typhi acuti testantur?
Verum quidem est prius, sed posterius adhuc demonstrandum, nam
et in aliis longe diversis morbis, quin imo in ipsis morbis inflamma-
toriis nonnunquam ea deprehenduntur exanthemata, caeterum initio
typhi acuti plane nulla sanguinis manifesta depravatio adfuit, quamvis
sub finem illius, si in perniciem rueret, paucos ante lysin dies haud
raro propensionem humorum ad patescendum, et ipsam putredinem
incipientem observare liceret: verum ex his omnibus concludimus

tythi acuti naturam ex putredine non pendere, quamvis periodus illius febris ultima interdum, uti et in aliis morbis aliquando accidit, propensionem humorum ad putrescendum seu veram putredinem proderet^f). Notio autem typhi acuti perquam difficilis videtur esse, quod ex eorum indefesso studio, qui in eam inquirerent eamque certam stabilire studerent, apparet. CALLENIUS^g) enim in definiendo typho, typhus, inquit: est morbus contagiosus, calor parum auctus; pulsus parvus, debilis plerumque frequens, urina parum mutata, sensorii functiones maximo vitio labefactatae, vires corporis imminutae. Quae quidem morbi descriptio magis ad statum, finemque morbi quam ad initium pertinere videtur, nec omnes singulasque typhi acuti formas, qui non raro ipse febris inflammatoriae speciem prae se fert, complectitur. FRANKIUS^h) pater qui cum definire non ausus sit, characterem illius constituit: hoc solo, ait, febris illa pernoscenda est, quod vitali systemati in primis infesta causarum nexus deesse videatur et symptomata sine ordine decurrant et febris violentiae nequaquam respondeant quodue nervosum in primis sistema de majori in motus irregulares prona sensilitate participet. Nec minus in eo definiendo SELLIUSⁱ) laboravit, qui contagii maxime rationem habere videtur et ex eo illam febrem pestiferam exoriri jubet: febris, inquit, nervosa contagiosa est, symptomatibus in ere nervosis stipata, vel ob inflictus vehementiam absque ulla manifesta evacuatione necans vel exanthematicis in partibus glandulosis prorumpentibus vel magno sudore insignita. BRUNO^k) denique ad morbos summae debilitatis, mere asthenicos typhum acutum retulit, et symptomata de illa debilitate testantia enarravit BROTBEC^l) aliique febrem illam nervosam dixerunt,

- f) P. FRANK de curand. hom. morb. T. I. p. II. §. 92. multa contra putredinis theoriam disputavit nec non PRATOLONGO G. discorso sulle febri che si dicono putride etc. Genoua 1786. MILMANN Fr. Untersuchung der Symptome des Scorbuts und der Faulfieber übers. Berlin 1795. Ueber die Fäulniß lebender und todter thierischer Körper ss. Hilburghausen 1795
- g) Nosologie, Leipzig 1786. p. 93.
- h) I. I. T. I. p. II. §. 81 — 82.
- i) Rudim. pyrethol. method. Berol. 1789, p. 309.
- k) Element. medicin. Edit. Moscati Mediolan. 1792. p. 303.
- l) BROTBEC G. Fr. r. PLOUEQUET G. G. diss. de sebribus neuxicis. Tub. 1788. p. 7.

propterea quod systema nervosum praecipue et evidenter patitur. Ex his igitur omnibus quae auctores de typhi acuti notione tradiderunt, tantum colligi poterit eam febrem esse, cuius symptomata nervos horumque originem proprio quodammodo vitio labefactatos esse, ostendunt, eaque neque inter se cohaerent, neque causis et febris violentiae exacte respondent vel febrim esse, *in qua nimis concitata vis nervosa una cum inertia virium conjuncta appareat.* Quae morbi hujus definitio symptomatibus et causis typhi acuti, quem describamus, relatis fortassis magis arridebit.

§. 4.

Historia morbi. Prodromi.

Symptomata hujus febris ab initio tam varia fuerunt ut in ea dignoscenda maxime laboraverimus. Etenim hiemis anni praeteriti frigus, quod aliquando gradum vigesimum secundum thermometri Reaumurini attigit, temperies variabilis et maxime vicissitudines caloris cum frigore, peripneumonias, pleuritides, febres rheumaticas, pituitosas, colicas rheumaticas, dolores capitis rheumaticos, aliquando acerbos, odontalgiam rheumaticam peperit, arthritidem vero maxime nutrit et virium inertiam auxit; vere deinde primo febres intermittentes omnis generis, praecipue vero febres pituitosae, diarrhoeae crebriores et dysenterodes, nec mensibus Aprilis et Maji vento Euro-Boreali interdum flante ophthalmiae, quae facilius ope medicaminum roborantium et nervinorum, quam antiphlogisticorum mederi potuimus, apparuerunt. In omnibus autem aegrotis, quocunque demum morbo laboraverint magna virium prostratio sese manifestavit, quam medicorum plurimi statum nervosum imprimis tunc dixerunt, si temulantia capitis una in conspectum venit. Quae deinde virium prostratio, nervorumque mobilitas mense Maji, quo primum vestigia illius morbi innotuerunt, causa accidente occasionali, typhi acuti genesi inserviit; ast initio illius diagnosis perquam difficilis fuit, modo enim speciem febris catarrhalis et inflammatoriae, modo rheumatismi, colicæ rheumaticæ cum febri conjunctae nec non diarrhoeae dysenterodes præ se tulit et sagacissimos decipere potuit. Illa vero febris homines cujuscunque sexus, aetatis, corporis habitus modo perquam

celerrime invasit, modo sensim sensimque obrepdit, ita ut vel prodromi morbi prorsus deesse viderentur, vel haud parva sensus molesti motuumque praeternaturalium copia morbum infense hucusque latenter proruptum fore indicaret. Inter omnes aegros, quorum mihi observandorum et perscrutandorum occasio et locus dabatur, haud parvus quidem eorum numerus de doloribus vagis et errantibus, rheumatismi speciem p[re]ae se ferentibus, et vel regionem dorsi, spinam vertebralem et lumbos tenentibus, vel caput universum et unam aut alteram illius partem affidentibus conquestus est. Ast ille dolor in initio typhi acuti nostri apparens tantus non fuit, quantus ab auctoribus vulgo describitur, ubi ita acerbis aliquando fuit, ut aegri omni somno quieteque privarentur; sed morbo jam protracto increvit et tunc nostri potius aegri de vehementi gravitate capitis, temulentia et vertigine, oculorum tenebris et nebula et de doloribus universum corpus tenentibus querebantur, quam de iis qui rheumatismi in morem hanc vel illam partem pertinaciter occupant. Fatendum tamen mihi est, istos dolores initio morbi plus minusve tunc defuisse, si morbus pedetentim, accederet, si vero hominem ictus fulminis instar invaderet, non solum non defuisse sed omnes illas molestias, de quibus auctores doluerint, parasse. Multum deinde aegri nostri de debilitate totius corporis, de artuum omnium lassitudine conquerentes, tristes, morosi, timidi, de morte imminenti solliciti aut hilares et aliquando futurum morbi eventum jocose ludentes morbo infenso abnoxii facti sunt. Mox totum per diem siluerunt, mox maxime loquaces fuerunt, exiguum modo persenserunt horrorem qui cum aestu subito mutatus est, frigore modo totum per diem cruciati sunt et sudoribus tum noctem omnem liquecentibus transegerunt: aurum susurrus et sonitus, genarum rubor, aliquando livor regionem zygomaticam occupans, nausea, vomititio, appetitus imminutus, ciborum omnium sapor ingratus seu eorum aversatio, taedia, crebri ructus absque materia turgescente, sitis nulla, pauca, raro multa: nam nisi potus aegris porrigebatur, raro eum exegerunt, cupiditas potus frigidi et aversatio cibi potusque calidi, vini appetitus nimius et horror, somnus inquietus, quo aegri non recreati sunt, maculae ante oculos volitantes, flammae, somnia terrentia apparuerunt; in quibusdam magna adfuit ad somnum propensio vel agrypnia, e qua non absque clamore, angore et gemitu profundo

experrecti sunt; lingua deinde sicca, parum humida alba vel muco fusco obducta, arida, aspera, oculi fulgentes aut eorum splendore imminuto lucrymantes, depresso, unicuique rei fixi inhaeserunt; omnia vero ista visa saepius subito mutata sunt. Aliquando accidit ut speciem catarrhalis febris initio pae se ferret, vox enim rauca, gravedo, sternutatio, dolores capitis gravativi, oculorum dolor premens, nares et fauces siccae deprehensa sunt. Si adhuc obambularunt; torpidi, lassi et valde dejecti aut vivaces et hilares fuerunt, omnia aut nihil curarunt; pulsus irregularis, duriusculus, celer, inaequalis, vagus, tremescens, plenus, mollis fuit; respiratio plerumque illaesa, nisi morbus aegros inopinato et repente supervenit ubi omnia, exceptis nervosis, ea symptomata, quae in peripneumonia locum habent, apparuerunt, interdum tamen tussis eos vexavit. Alvus raro clausa et tarda, initio morbi fere semper aperta et liquida et dejectiones mere aquosae vix et non sine prudentia compescendae ad gravissima typhi acuti symptomata pertinuerunt. Factum est aliquando ut hae dejectiones cum sanguine atro et foetido aeremque impregnante odore mixtae essent, sed plerumque versus morbi finem. Urina maxime fuit varia, rubra, flava, pallida, alba, mucilaginosa cum et sine nubecula, turbida, jumentosa, ac in ea emittenda aegri non raro de ardore et dolore conquesti sunt; cutis plerumque sicca et arida fuit et sub finem tantum ille calor mordax putridis sic dictis febris solum dicatus apparuit, interdum vero et ita madida fuit ut sudoribus fere aegri nocturnis liquecerent. Haec vero omnia symptomata nihil ad salutem aegrotorum fecerant, sed postquam incaute et omni vi medica coercabantur, alia iis pejora sese prodiderunt; ita diarrhoeam aquosam nimis cito sedatam (integra lege: diarrhoeae in typho acuto obviae quam celerrime sedandae) gravissimas pectoris perturbationes sequi observavi, ut aeger sanguinem spumosum exscrearet et spiritum vix trahere posset, qui status pectori infestus tum cessit, cum altera die mane diarrhoea sponte flueret. Inter haec symptomata alii aegrotorum suis adhuc functi sunt muneribus, qua vero virium intentione sibi plerumque maxime nocuerunt et viribus labore et motu consumtis omnia nunc in pejora ruerunt; alii vero a morbo celerrime abrepti lecto se continere statim coacti sunt, quorum morbus sese vel in bonam vel in malam partem celerius finivit.

§. 5.

Incrementum symptomatum.

Quum vitae vires his symptomatibus plus minusve debilitatae et confectae essent nec noxiis in aegros agentibus stimulis ita resistere possent, ut vita ipsa ad integrum statum rediret aut saltim pristinum rursus acquireret, eorum violentia e die in diem increvit. Symptoma enim gravissimum atque perquam mutabile hujus periodi morbi, dolor fuit, qui ex alio loco in aliud migravit, ibique pro partis, quam invasit, ratione, fere semper perniciosissimas edidit strages. Itaque dolor, qui caput tenuit, vehementiam deliriorum modo mitiorum, ideo tamen non parvi habendorum, modo furiosorum excitavit, ita ut omni quiete et somno orbati et inopia requietis confecti aut dejecti aut furiosi essent, sonitu susurruque aurium, auditu difficulti, nunquam vero solito acie majori nunc laborarunt; oculi rubuerunt ac perpetuo moti, huc et illuc tracti, splendentes vel timide clausi, sordidi, squallidique apparuerunt, interdum aegri iis bona sua quasi amissa anxie quaerere et res quasdam sibi obvias perspicere videbantur; palpebrae in perpetuum ciebantur motum et lacrymae genas humectabant. Somniis terribilibus, visis et spectris cruciabantur, et timore eorum abrepti adstantes precibus enixe factis implorabant, ut haec expellerent et ab illis liberarent. Alta saepius voce clamitarunt, carmina varia voce mutata recitarunt, linguasque aliarum gentium quarum elementa juvenes forte olim didicerant, loqui sunt, lectum tum libenter relinquere cupierunt, flocculos legerunt, mensas, sellas manus, pedibusve pulsarunt et calcitrarunt, alios aliquando jocose luserunt, nihil curarunt, nihil voluerunt. Qui deinde dolor, quum in pectore appareret angorem, summamque respirandi difficultatem, ut aegri vix adhuc spiritum trahere viderentur, tussim, spasmos pectus constringentes, sputa spumosa, sanguinea, puri similia adeoque purulenta creavit. Saepe perquam difficile fuit indagatu, an dolor ejusque causa magis pulmones an hepar afficeret et v. v. quum regione hepatica dolore libera, pulmones eo correpti viderentur, quod tamen disquisitione cadaverum instituta post aliter sese habuit. Dolor iste denique si abdomen invasit, fere semper diarrhoeas aquosas, sanguinolentasque genuit, nisi cito medicaminibus et internis et externis cesserit, meteo-

B

rismumque, spasmos, tympanitidem aliaque damna paravit, et ille morbi status maxime timendus erat. Cruribus tum aegri haud verecunde divaricatis lecto attoniti quasi jacuerunt vel locum anxie mutare studuerunt, urinae mittendae difficultas aut effluxus invito et inscio aegro, involuntarius, urina pallida, rubra, spastica valde diversa et quotidie fere mutata, furfuracea, nubecula aliquando apparet fundum petere videbatur, aliquando superius innatavit; raro sedimentum adfuit furfuraceum. Albus raro tarda plerumque liquida, sanguinolenta, foetida; cutis sicca, arida vel madida fuit, ast sudor non aequaliter per totum corpus diffusus, frigidis pedibus, manus exsudarunt, nec limpidus sed viscidus fuit. Lingua sicca, arida, fissuris incisa, atra, muco fusco obiecta, tremula, palato adhaerens, ultra dentes aut ore protendi, jussa, nequit. Tremor artuum, subsultus tendinum, sitis modo nulla, modo vehemens, modo modica. Pulsus parvus, debilis, duriusculus, celer, exilis, centum et viginti et triginta ictuum intra minutæ spatium habens, inaequalis, dicrotus apparuit. Quae autem symptomata nullo certo die nec omnia simul sed sensim sensimque, modo citius, modo tardius apparuerunt; ille enim dolor gravatus, pungens, obtusus signum inflammatæ partis internæ seu occultæ, aliquando statim in initio morbi, aliquando vero et frequentius in ejus decursu die V. septimo, nono, undecimoque, et tertio quartove die post ortum vel evanuit vel ad decimum quintum et septimum morbi diem duravit, quo plerumque omnia tum in pejora ruerunt. Raro ante, interdum una cum inflammationis internæ partis signis, frequentius paulo post ea exanthemata varia eruperunt, ut peticulae, miliaria, maculae morbo maculoso haemorrhagico Werlhofii similes, scarlatinaeque speciem præ se ferens exanthema, quae omnia neque boni neque mali ominis caeteris paribus fuerunt; attamen peticulae lividae et maculae, speciem, quae morbum maculosum haemorrhagicum Werlhofii insignivit, præ se ferentes mali aliquando ominis fuerunt. Suavitas deliriorum nunc in furorem transiit, nec transitoria ea, sed continua magis fuerunt; sicca lingua, atra, fissa, incisa, dentes squalidi, muco atro et viscidio obducti, labra nigris, bruneis squamis conspurcata, fissuris incisa, calor tactui molestus et vehemens, facies fervida, livida, livor regionem zygomaticam et musculum orbicularem oris tenens, collum pectusque nigrescens, subsultus tendinum crebriores, motus convulsivi, corpus

ad pedes saepius devolutum, pupilla oculi dilatata, oculorum squalor, impetum aegrorum e lecto surgendi lypothimia sequuta est. Aegri nostri aliquando nullam prorsus sibi parare potuerunt quietem, omnia membra assidue moverunt, ast et in eo nulla salus, cum enim parum dormiverint, e somno saepius experrecti sunt inquieto, ubi somniis terribilibus, visis et spectris perterriti, iis temporis aliquod adhuc inhaeserunt, donec tandem ad se ipsos amicorum ope redirent, nec facile fuit iis de contrario, qui spectra et visa vera esse putarent, persuadere. Respiratio anxia, nimis agitata adhuc molestior facta est, ut spiritum non sine magna virium intentione traherent, gemitusque profundos emitterent. Exanthemata in cute adhuc conspicua vel retrogressa, prostratio virium totius corporis major, facies misera, pallida, caduca, tristis, terribilis, squalida, vox vi carens, tarda, submissa, oculi depressi, clausi, semi-aperti, os arpertum, nares nigrae: nervos nimis longeque irritatos stupor sequutus, quo alii tardius, alii maturius laborarunt. Pulsus plerumque parvus, debilis celer 130—160 ictuum intra minutae spatium. Quamvis autem pulsus hanc celeritatem apud aegrotos quosdam attingeret, eorum tamen plures ad vitam sanitatemque redierunt. Diarrhoeae cruentae, foetidae, cicatrices recrudescentes, gangraenosae, inflammationis partium internarum funestus exitus in gangraenam sphacelumque, pulmonum, hepatis, intestinique recti inflammatio et gangraena in conspectum venerunt. Virium prostratio summa, pulsus debilis, celer, intermittens, motus convulsivi, excretiones involuntariae, surditas, frigida membra, calida, tensa et pulsantia praecordia; nec est quod mortis imaginem ex ovo delineem.

§. 6.

Modus hujus typhi acuti dividendi.

Si quis typhi acuti decursum, cuius symptomata hucusque enarta sunt, consideret, in eo quasdam et forsitan certas periodos, quas percurrit, deprehendet. PRINGLIUS^m), BURSERIUSⁿ) aliique auctores a violentia symptomatum principium dividendi petierunt et tria

B 2

^m) Diseases of the Army London.

ⁿ) Instit. med. pr. Vol. I. P. II. p ss.

stadia, quae morbus percurreret, statuerunt. FRANKIUS^o) pater varias febris nervosae species vel ad nimis excitatas vel ad nimis depressoas et debilitatas vires vitales retulit, sensoriique perturbationis in iis distinguendis rationem habuit. Sed isti auctores de typho acuto in universum disseruerunt, ego vero de eo, cuius hic mihi observandi locus dabatur, ille vero aliud dividendi argumentum e variis diversisque symptomatibus desumtum exhibere videbatur. Quum enim vidimus et infra magis adhuc elucebit, nostrum typhum fere semper cum inflammatione internarum partium conjunctam fuisse, sectionesque nos docuisse, omnia fere abdominis pectorisque viscera laesa, inflammata, gangraena et sphacelo corrupta, nec non capitatis viscera sanguine referata, aqua plena, inflammataque fuisse, symptomataque partim inflammationi internarum partium, partim vero perturbationi systematis nervosi, et denique sequelae seu effectui hujus utriusque status respondisse, jure meritoque credidimus, haec tria morbi stadia locum habere posse, studium nempe *mere nervosum*, deinde *inflammatorio-nervosum* et denique *nervoso-putridum*. Fatendum vero mihi est, decursum typhi acuti non ita definitum et ad certos dies adstrictum fuisse ut febris tertiana seu quartanae legitimus accessus, nec periodus nervosa semper inchoavit morbum nec inflammatoria finem illi imposuit, sed modo haec, modo illa, vel sola, vel intime conjuncta, ea, qua sistebatur via, ivit. Ipse etiam decursus harum periodorum certis non fuit terminatus finibus, uti in aliis morbis, symptomata enim nervosa et inflammatoria apparuerunt et disparuerunt, perpetua eorum fuit mutatio et commixtio, aliud alii successit et recurrerit. Interea tamen plerumque stadium mere nervosum morbum inchoavit et inflammatoines partium internarum in decursu morbi demum exortae sunt, nisi homines robustos inopinatae et repente typhus supervenit, ubi stadium inflammatorio - nervosum eos in potestatem suam redegit. Quum aegri saepissime jam die morbi VII. seu nono praeterlapso opem et auxilia medicorum sibi implorarent, magna difficultate in diagnosi istius morbi stadii laboravimus, cum modo pneumoniae, modo phrenitidis, modo enterititis etc. speciem morbus prae se ferret, ita ut saepius ignari fuerimus, quodnam morbi stadium vel adeo, quinam morbus esset; donec plures eodem morbo laborantes videramus.

^o) I. L. p. 100. ss.

§. 7.

Stadium typhi acuti mere nervosum.

Opus fere arduum atque perquam difficile, haecce typhi acuti stadia ex ordine et accurate describere nos subiisse, menti statim succurrit; ast omnem operam, ut eas periodos, quantum modo fieri possit, describamus, dabimus, et nisi finem assequimur, judices estote benigni. Verum de stadio primo, ea morbi periodo, in qua typhus acutus vulgo initium cepit, quaeque plerumque nomine prodromorum ab auctoribus insignita est, nunc primum mihi exponendum erit. Haecce vero morbi periodus omnes eos affectus in se continuit, qui, virium inertiam ac debilitatem, nervorumque mobilitatem et sensilitatem sensoriique vel levem vel gravem perturbationem in corpore obviam esse, ostenderunt, illaque temporis spatium illud complecti solita est, quo aegri de valetudine adversa ejusque primis signis eousque, quo inflammationis internarum partium vestigia apparuerunt, conquesti sunt. Nec taceamus hoc, temporis spatium hujus periodi non semper a natura ita definitum esse ut finibus certis terminari possit; vidimus enim symptomata nervosa morbum statim inchoare, deinde medio illius decursu disparere et in fine morbi denuo apparere; signa inflammationis partium internarum mox maturius mox tardius exoriri, raro primo secundo, tertiove morbi die, ubi, ratione virium aegrotorum habita, nisi hirudinibus, scarificationibus, balneis tepidis etc. levamen quodam aegris oblatum est, prius, quoniam periodus morbi ultima celerius appropinquavit, perierunt, quam si medio in morbi decursu inflammations exortae sunt; attamen nullas prorsus aegri bene tulerunt sanguinis missiones, quippe quae vires infregerunt. In hoc vero studio omnia ea evenerunt symptomata, quae vulgo nervosa dicuntur. Frigus et aestus, omniaque illa febrilia symptomata, quae e nimia nervorum irritatione viriumque inertia oriri solent; dolores adhuc vagi, errantes, capitis temulentia, vertigo, moeror, vivacitas, *πνευστις*, lassitudo artuum fere plumbea, memoriae debilitas, reminiscentiae robur et vis, imaginationis lusus, sensuum externorum perturbatio, oculorum affectus, nimia eorum sensilitas, splendor, aliquando squalor, lippitudo, siccitas, lacrymae; aurium susurrus, sonitus, surditas medicaminibus roborantibus et nervinis adhibitis evanescens;

tactus alienus, perturbatus; sapor plane nullus aut subamarus; odor nullus, aut empyreumaticus, nauseam ciens; nausea, vomituritio absque materia in primis viis turgescente; appetitus nullus, ciborum aversatio, crebri ructus, multum aut parum sitis, potum hauriendi cupiditas nulla, multa siti praesente, aversatio potus calidi et nimia ad potum frigidum et vinum propensio; lingua sicca, arida, tremula, palato adhaerens fissuris incisa; agrypnia aliquando aegros supervenit, e qua nulla corporis quies et recreatio orta est. Maculae ante oculos volitantes, flammae, visa, spectra, somnia terribilia, pulsus inaequalis, parvus, debilis, duriusculus, plenus et vacuus et mollis, anxia respiration, gemitus, spasmi pectus comprimentes et constringentes, deliria suavia, interrupta, dejectiones alvinae aquosae, male olentes; urina alba, spastica, furfuracea, turbida cum ardore et dolore in ea mittenda conjuncta. Lecto hucusque alii nondum se continuerunt; alii vero illam tenere coacti sunt; subsultus tendinum, motus palpebrarum oculi, oris, musculorum faciei convulsivi, tremor capitidis, arteriarum temporalium et carotidum pulsus crebriores et in sensus tum aegrotorum tum adstantium cadentes, his adhuc accesserunt. In eodem vero statu et exanthema miliare plerumque erupit, illud enim fere semper prius, quam caetera supra nominata exanthemata prorupit. Ast forsitan mihi aliquis objiciat, huic stadio signa characteristicadeesse, quoniam aliquando certe symptomata inflammationis internarum partium intercurrunt, et facile commisceri possunt; Verum spero fore ut ille, si omnia signa simul consideraverit, nec ex uno alterove, inprimis quando febris illa epidemica est, colligere voluerit, facile nervosum ab inflammatorio-nervoso distinguat; Difficile enim omnino est, si typhus acutus sporadice sese nobis offert, tum eum ipsum, tum stadium, nisi statim ab initio febris praecipue arcessiti sumus, dignoscere; ast si alter aegrotorum ad salutem rediit, alter vero morbum subiit, qui atmosphaerae febrilis vicinus fuit, non difficile dijudicatu erit. PRINGLIUS^{p)} hujus typhi acuti initium a febri vulgari non facile distingui posse, ait, et REILIU^{q)}s contendit, non ab initio sed in progressu demum scenam malignam aperiri.

p) I. l. übers. Krankheiten einer Armee, Beobachtungen über das bösertige Fieber.

q) Memorab. clin. Vol. I. T. II, p. 93.

§. 8.

Stadium inflammatorio . nervosum.

Scena autem illius febris maligna maxime tum aperta est, cum inflammationes sic dictae occultae in lucem prodierunt, eaeque hucusque, latentes et infense et subdole prorepentes naturae organicae diram pararunt cladem. At forsitan ridiculum esse putas, me periodum typhi acuti secundam cognomine stadii inflammatorio-nervosi insignire, cum notioni typhi plane non responderet inflammatio; quodsi esset, accuses velim naturam, nos naturae ministri, nec illi imperantes, ejus vestigia sequamur necesse est. Verum inter omnes constat, in febribus nervosis inflammationes exoriri, quae ex depositione aliqua, ut ajunt, exardescere, ipsique febri characterem fere inflammatorium imprimere solent; itaque cum inflammatio in istis febribus locum habeat, non vidi, cur periodus inflammatoria ab illis abesse deberet. Caeterum facto non negando inititur, corpora robusta febribus nervosis et debilia febri inflammatoriae esse abnoxia, et experientia etiam nos edocti sumus, febrim nervosam acutam, si epidemiae instar offenditur, robustis magis, quam debilibus esse infestam; sed plura de hoc infra. Deinde in aliis ejusmodi epidemiis vel universalem vel localem diathesin inflammatoriam adfuisse, descriptiones febrium nervosarum epidemiarum, quas apud scriptores deprehendimus, docuerunt: multae enim febrium earum historiae, quae nomine febris pestilentialis, sudoris Anglici, carcerariae, nosocomialis, navalis, petechialis, miliaris, puerperalis, putridae, malignae insignitae sunt, quarumve optima medendi ratio in venae-sectione nonnunquam crebrius repetita posita erat, diathesin inflammatoriam universalem testari videntur. Ipse SYDENHAMUS^{r)} quum in peste medenda nihil salutarius venaesectione habuerit multisque hujusmodi in spidemiis sola venaesectione justo et tempestivo tempore facta nihil utilius vidisse asseruerit^{s)}; licebit inde ad diathesin inflammatoriam cum peste, febri illa nervosa perquam acuta conjunctam concludere; nec BOYERIT, KREYSIGIIQUE sententiae in aliam partem natarunt, quum Bellovacas sudore anglico morbo illo mere nervoso anno 1750 laborantes sanguinis missiones quam optime ferre

^{r)} de peste et febri pestilentiali.^{s)} FRANKIUS p. I. I.

ille observaret^{t)} hic inde diathesin phlogisticam cum febri nervosa, conjunctam peteret. Nisi timerem ne longus forem, alios adhuc afferre possem febris putridae, carcerariae, nosocomialis epidemias, quae inflammationis speciem prae se ferrent; ast ob illam verecundiam nominavi tantum PRINGLIUM^{u)} BURSERIUMQUE^{v)}. Me quidem non fugit, sententias pathologorum de istis inflammationibus cum febre nervosa conjunctis in duas abire partes, quarum altera eas plane ac prorsus rejicit, altera vero eas defendit, seu dubia adhuc omnia de ea re gravi ac utili in lucem prolata comparat, et de pace in eadem re concilianda sollicita, ut lis demum in bonam rerum medicarum partemcompanatur, in votis habet. Sunt igitur qui inflammationes cum febri nervosa conjunctas ac in ea obvias proveris non habeant, eas potius ad congestionem sanguinis ad partem nimis irritatam et debilitatam referant^{w)}, nec eos erroris aut fallacie in observando et concludendo commissi accusare ausus sum, cum mihi persuasum habeam, sententiam eorum non prorsus a vero aberrare. Certum enim et indubitatum est istas inflammationes sic dictas occultas a nimio sanguinis ad partem corporis nimis irritatam et debilitatam affluxu saepissime derivandas esse, nec ullius omnino venae sectionis (universalis) nec sanguinis e loco affecto ope hirudinum (localis) eductionis indigere. Non negem aegros esse qui plethora mere relativa, apparente laborent, qui que nulli inflammationi verae sed quoque soli relativae et apparenti, quae in congestione sanguinis ad partem corporis nimis irritatam et debilitatam collocanda et medicaminibus stimulantibus rite ponderatis et aestimatis sananda est, succumbant. At haec lex non ubique valet, nec in omnibus, qui typho acuto laborant inflammatio mere relativa apparet; inflammatio enim nonnunquam talis in eo locum habet, qualis typhi acuti naturam indolemve non agnoscit. Inde factum est ut alii

- t) KREYSIG, Fr. L. Oratio acad. de diathesis morborum phlogisticae et nervosae connubio. Viteb. 1796. p. 7.
- u) BOYER methode a suivre dans les maladies epidemiques. a Paris 1762.
- v) Institut. med. praet. T. I. P. II. p. 43. 44. 118. 270. PLOUCQUET I. BROTBEC de febribus neuricis. Tub. 788. p. 14.
- w) I. FRANK etc. Roeschlaubs Magazin Bd. III. St. 2. p. 228. u. f. (congestio sanguinis in istis febribus interdum effectus partis alicujus nimis irritatae et debilitatae tantummodo est.)

inflammationes istas defenderent ^x) earumque sthenicam naturam tuerentur. Et sane sunt aegri, quibus ne venae sectio quidem universalis damni quicquam inferat, sed qui potius, ea instituta, citius celeriusque ad sanitatem redeant, itaque inter ipsos aegrotos maxime distingendum esse judicavi ^y). Foeminam enim observavi, cui parva sanguinis missio ad mensuram trium unciarum, statim in initio morbi facta optime conduxit, et prius secunda valetudine fruebatur, quam alii, et Cel. KREYSIGIUS ^z) in febri nervosa, ut pneumoniam, qua aeger perire posset, tolleret, sanguinem misit, qua sanguinis missione facta, medicamina stimulantia demum opem ferre, observavit. Verum alterum illud, in febribus nervosis epidemicis, maxime contagiosis, et internarum partium inflammationes locales locum habuisse, ab omnibus fere in nullam prorsus dubitationem vocatum est; istae vero clandestinae inflammationes vel absque omni febre adesse, vel cum alia quacunque febri incedere possunt, nec necessarium est, ut eae semper cum febri sic dicta inflammatoria sint conjunctae. Huc fortassis illae ab HUXHAMIO ^a) praeter alios egregie descriptae anginae malignae, gangrenosae, peripneumoniae malignae, quae maximam partem funestae ut pestis fuerunt, huc peripneumoniae et pleuritides, quae nonnunquam inter gentes magnam cladem struxerunt, quasque epidemias STOLLIUS ^b), FRANKIUS ^c), HUXHAMUS ^d), SARCONIUS ^e), SCHENKIUS ^f) cum ipsis affectibus localibus egregie descripserunt, pertinere videntur. Denique et cadaverum e febre nervosa acuta mortuorum disquisitio et alios, et nos edocuit, veras adesse locales inflammationes. LIEUTAUDIUS ^g) enim non solum in universo cerebri ambitu,

^x) Hufeland über das Nervenfeber 1799. p. 130. etc. Kreysig Darstellung der physiologischen und pathologischen Grundlehren für Aerzte und Praktiker II. Bd. Leipzig. 1800. p. 112. u. f.

^y) Novi virum inter medicos eximum, qui medicis, tironibus adhuc, fere semper hanc regulam; Individualisiren Sie, exhibuit.

^z) I. l. p. 114. in nota.

^a) Opera omnia c. Reichel T. II.

^b) Ratio medend. T. I.

^c) I. l. T. II. §. 190.

^d) I. l. T. II. p. 63.

^e) Storia della malattie che furono epidemiche a Napoli T. I. II.

^f) Observ. med. I. VI. p. 855.

^g) Synopsis univ. prax. med. Paris 1770. ubi de febri nervosa exponit.

sed et in pectoris abdominisque cavis inflammations deprehendit et omnia fere, his in cavis viscera contenta, inflammati, exulcerationibus destructa et gangraena confecta invenit, et BURSERIUS ^{h)} in disqui-
rendis ex illa febre cadaveribus mortuis, cerebri, medulae spinalis in-
flammations, abscessusque detexit, quos et MORGAGNIUS ⁱ⁾ vidisse
asseruit. Quum igitur in cadaveribus, ab ea febre confectis, disquiren-
dis, et nos fere omnia trium cavorum viscera inflammatione correpta,
sanguine tumida, abscessibus disturbata, gangraena destrueta esse
viderimus, ex his omnibus collegimus, nos non pro lubitu et ex mero
arbitrio typhi acuti periodum alteram, stadium inflammatorio - nervo-
sum dixisse. Interea libere fassus sum, me universalem sic dictam dia-
thesin inflammatoriam in typho acuto hic grassanti fere nunquam,
propensionem vero internarum partium ad phlogoses saepe numero et
fere semper observatum habuisse. Quae quidem phlogoses raro in ini-
tio mobi, aliquando in medio illius decursu, frequentius in fine appa-
ruerunt, ubi febris nervosa nonnunquam speciem febris inflammato-
riae prae se tulit, quae vero non diu duravit, quoniam symptomata
nervosa, quae interdum sublata esse videbantur, mox revertebantur.
Quam ob rem certum et indubitatum est, non omnem organorum
capitis, pectoris, et abdominis perturbationem, quae in febri nervosa
acuta appareat, nomine inflammationis insigniri debere, cum ea sae-
pius tantum irritatio nervorum praeternaturalis et efficacia perversa sit.
Pauci tantummodo fuerunt quibus sanguinis missio, etiam statim ab
initio morbi facta, opem ferret, morbum vix superarunt aut lente tan-
tum convaluerunt ^{k)}; profuerunt iis potius balnea tepida et sanguinis
eductio e loco dolore affecto ope hirudinum et cucurbitularum, quando
dolor locum corporis certum tenuit. Signa autem hujus stadii ad ea,
quorum complexus characterem fortassis inflammatorium constituet,
referri possunt. Inopia somni et quietis, sudores nulli, cutis sicca et
arida, pergamena, anxietas, somnia terribilia, periculum situm in
lecto commutandi, perpetua membrorum jactatio, conamen e lecto sur-
gendi, facies tumida, rubra, sanguine turgida, oculorum rubor, splen-

b) I. I. T. I. §. 439. 441. 353 — 355.

i) de sedib. et causis morbor. Epistol. VI. n. 2. et 8. Ep. VII. n. 8. et 16.

k) BRAUNE I. I. p. 25. cum de morbis Lipsiensium exponat, inquit; Nostri idcirco (ob
victus tenuitatem) phlebotomiam pessime ferunt.

dor et furor, tinnitus susurrusque aurium; capitis vertigo, temulenta, dolor circa regionem ossis frontis, vox alta, lingua sicca, arida, rubra; deliria utriusque generis, modo mitiora, modo furiosiora, dolores in quovis viscere vehementiores, pungentes, rodentes, obtusi, comprimentes, faucium siccitas et dolor, colli, pallati et faucium malae affectiones; pectoris respiratio anxia, celer, brevis, suspiriosa, tussis crebra, exscreatio sanguinis, sputa spumosa: narium, uteri haemorrhagia, pulsus celer, duriusculus; parotis, urina rubra, furfuracea, hydropica (deficiente hydrope) emittitur. Quae quidem inflammatio localis omnibus visceribus infesta fuit, nec capitis visceribus nec pulmonibus, hepati, ventriculo, utero, vesicae urinariae, nec intestino recto pepertit; veram vero fuisse inflammationem, nec solam sanguinis ad partem prius debilitatam congestionem, uti dicunt, e disquisitione, uti supra jam monuimus, cadaverum, ab ea febre necatorum, apparuit. Etenim partes corporis interiores non solum sanguine refertae, inflammatae, membranisque, e lympha recens effusa contextis, cum aliis concretae, marcidae, molliores solito, induratae, lapideis non raro incrementis obductae, vasis lymphaticis ambitu lato conspicuis plenae, glandulis viscerum tumidis praeditae, sed et abscessibus disturbatae et gangraena consumatae, deprehendebantur. Interdum capitis dolores vehementes, et deliria tam furiosa fuerunt, ut inflammatio encephali adesse videretur, cum tamen ea in abdominis cavo demum deprehenderetur¹⁾.

§. 9.

Stadium nervoso - putridum.

Complexus omnium effectuum eorum symptomatum, quae in prima secundaque morbi periodo apparuerunt, stadium nervoso - putridum constituet, effectus nimirum utriusque prioris stadii est. Typhus vero acutus, quum hanc attigerit periodum, fere semper funestus fuit, et qui eam superaverint, lente tantum convaluerunt. Putridam autem ultimam illius morbi periodum nominavi, propterea quod omnia fere adfuerunt signa, e quibus vulgo ad febrem sic dictam putridam concludere lubet, nec vidi, cur nobis illicitum foret, eam nomi-

C 2

¹⁾ Cujus rei et Cel. P. Frankius testis est in I. I. T. I. P. II. §. 90.

ne nervoso-putridae periodi insignire, quum omnia symptomata, nervos eorumque originem vitio quodam labefactatos, humoresque corporis depravatos esse ostendant. Plurimi auctorum putridam eam febrem dixerunt, quae in putridis primarum viarum sordibus, effluviisque corporum putrescentium originem capit; vel eam, quae non a primarum viarum peste amplius pendet, sed secundarum viarum putredine gignitur, et cum humorum resolutione putrida et violenti nervorum perturbatione conjuncta est. Signa autem, quae auctores hanc febrem ab omnibus aliis distinguuntia enumerant, in eo consistunt: quod nimurum excrementa, et halitus et sudor et aer odorem spirant pestilentialem et cadaverosum^{m)} peticulaeque, exanthemata miliaria, maculae morbo haemorrhagico W. similes, aphthae in oris, fauciumque cavo apparent, quod deinde cicatrices livescunt, denuo recrudescunt sanguinemque emittunt, et haemorrhagiae e naribus, pulmonibus intestinisque prorumpunt, quod denique partes cubando affectae lividae fiunt, odorem malum spargunt et in ulcera gangraenosa degenerant, et magna vulnerum, vesicatoriis adhibitis, infectorum propensio in gangraenam adest. Quae quidem symptomata, cum morbus undecimum seu decimum quartum vel septimum attigerit, in typho, quem descripsimus, in conspectum venerant et omnia cum nervosis symptomatis conjuncta damna, molita sunt, quae nulla medicina compesci potuerant. Nervosa, quae intercurrerunt symptomata in tendinum subsultu, motu convulsivo, deliriis, inopia somni et requietis, surditate, stupore, tremore artuum, linguae, capitisque collocavimus; pulsus nunc consedit, functiones sic dictae vitales laborarunt, imbecillitas aegrotorum major fuit, concussions, corpus ad pedes devolutum, nigrescens pectus et collum, genarum livor apparent et suspiriosa et anhelosa et anxia respiratione aegri laborant: vitaeque ultimum exhalant halitum.

§. 10.

Typhus acutus ab aliis febribus distinguitur.

Typhum acutum non facile ab aliis febribus distingui jam ob varias illius formas, quas subit, palam est, difficilius vero in initio morbi

^{m)} VOGEL S. G. Handb. der pract. Arzneywissenschaft II. B. II. Ausgabep. 66. Note h. Stendal 1789. KAUSCH's Sendschreiben an Herrn Hofrath Hufeland. Altenburg 1799. p. 16. ff.

agnoscitur et discernitur, et quamvis febrium singularem speciem constituat, ab initio tamen, priusquam certum magnumque malignitatis gradum nactus est, a quacunque alia febre difficile distinguitur. Illi maxime affinis est febris lenta nervosa, in primis initium typhi acuti facile cum ea commutari potuit: primum igitur signa, quibus typhus acutus a lenta nervosa differre solita est, enumerabo et deinde de signis typhi acuti characteristicis quaedam disseram. Quod vero primum attinet, typhus acutus sensim sensimque aliquando homines obrepdit et paroxismo primo peracto, speciem febris lentae nervosae haud raro praese tulit, et subdole et clandestine ingressus est, ita, ut, si praecipue imbecilles et irritabiles invaserit, cum illa facile commisceri posset. Typhus acutus e causa epidemica, et e contagio quodam, nobis quidem adhuc ignoto exorta et propagata est; factum enim est, ut aegro conualecente, ii, qui opem et auxilium illi tulerint, a morbo invaderentur et aliquando in majorem eo irruerent perniciem; contra ea febris lenta nervosa e causis praedisponentibus originem capit, interea tamen FRANKIUS ⁿ⁾ pater asseruit et eam febrem interdum, sed raro epidemice occurrere. Itaque, si morbus noster e contagio originem suam cepit, parum aut nihil causis praedisponentibus debuit, eaeque ne quicquam quidem ad ejus genesis contulerunt, forsitan mihi aliquis objiciat: Quum autem morbus non omnes singulosque, qui atmosphaerae febrilis incolae fuerint, invaderet, et alii liberi a morbo evaderent, alii vero illi succumberent, causae praedisponentes ad morbi genesis quicquam contulisse videbantur. Omnes vero, cujuscunque demum corporis habitus, temperamenti, sexus et aetatis fuerint, invasit, neque tenerrimis mulieribus, neque robustissimis viris pepercit; febris autem nervosa lenta eos solos debilitate et virium inertia laborantes, quod et Cel. FRANKIUS ^{o)} affirmavit: inquiens, invadit prae aliis, qui sensiliori nervo instructi, pathematibus deprimentibus in longum vexantur, aut qui vino ac nutriente satis alimento privati fuerunt. Omnia deinde symptomata morbi, magna cum violentia et furore conjuncta erant, quum e contra in febre lenta nervosa mitiora sint: in hac enim praeter debilitatem nulla tanta nervorum sensoriique perturbatio, quanta in morbo nostro apparuit. Typhus denique vere acutus eo maxime a febre nervosa

ⁿ⁾ I. I. T. I. §. 91. p. 110.

^{o)} I. I. §. 91. p. 110. cfr. et Burserii I. I. T. II. p. 110.

lenta discerni potuit, quod magna ad inflammations internarum partium adfuit propensio, quae ab hac prorsus abest, etiamsi interdum ex iis inflammationibus praegressis originem ducat. Itaque illum morbum neque febrim lentam nervosam, neque febrim pituitosam pessimi moris cum statu nervoso conjunctam et id circa nominaverim, quod illa longius temporis spatium conterit, typhus autem acutus vicesimo primo et frequentius undecimo, et decimo quarto et septimo die solitus est; haec deinde febris nullam prorsus pituitam ostendit, et pituitosa absque pituita foret. Liceat hic hoc unicum fateri, nos connubium febris nervosae acutae cum febri putrida respuere et rationibus hujus argumenti jam supra §. 3. redditis contendere, omnis typhi acutus finem, maximopere, si in perniciem irruat, nomine stadii putridi insigniri posse. Quibus rite comparatis non difficile fore arbitror typhum acutum ab aliis febribus quamquam arcte cum eo conjunctis distinguere. Sed ad alterum, quo nimirum, an signa typhi nostri characteristicia adfuerint? exponam, progrediar.

Cognitionem hujus febris intio morbi perquam difficilem esse, omnes, qui eam unquam observarunt, contendunt, atque ex eo simul elucet, quod supra jam ratum habui, signa hujus morbi characteristicia in primo morbi stadio praesertim, vel plane nulla, vel nimis obscura esse. Morbus enim, qui initio sub tam variis formis incedit, et serpentis instar e latice prorepit, modo speciem inflammatoriam simulavit, modo rheumatismi, modo eam febris lentae nervosae praese tulit, cujus denique symptomata, nisi jam ad malignitatem evecta sunt, summa incertitudine et inconstantia abundant, signa certa certo non protulit. Ast liceat ea, quae fere semper, etsi incerto tempore evenerunt, symptomata, et modo hoc, modo illud stadium morbi sequuta sunt sub censem cieri. Observavimus autem omnes omnino functiones corporis laesas, praecipue vero vitales, et animales, quae semper ita perturbatae erant, ut signa fere ubique eadem proderent. Etenim ab his imprimis signa pathognomonica, si in his febribus quaedam adsunt^{p)}, petenda erunt, et forsitan, si omnia simul rite aestumantur inter se invicem comparantur, et examinantur nos in dignoscendo morbo juvant). Quum

p) Kausch's Sendschreiben S. 20 u. 21. sagt: die ächten Pathognomonica in unsren Parhologien sind fast so etwas seltenes, als exotische Pflanzen ausserhalb dem botanischen Garten.

notum jam esset, ex uno tantum signo, quod maxime ad illud e pulsu desumtum pertinere videatur, ad morbum rite definiendum nihil certi concludi posse, et complexum symptomatum solum quicquam modo ad morbi diagnosin facere, et nos nunquam ex uno alterove signo morbum definire aut denominare ausi sumus, sed complexus plurium symptomatum de morbo ejusque natura certos demum nos reddidit; interea vero virium aegrotorum rationem habuimus, et causas apertas removimus, symptomatibusque plus minusve perniciosis mederi cupivimus. Vitales autem laesas esse functiones, pulsus debilis, parvus, durus, inaequalis, mollis, plenus, dicrotus, undosus docuit, et quamquam non ignari incertitudinis hujus signi essemus, hoc tamen secure et certo ex illo concludi poterit. Singulare forsitan fuit phaenomenon, quod aegri, si ad vitam sanitatemque redierunt, celerem semper haberunt pulsum, ita ut sexto adhuc septenario pulsus ictuum LXXX aliquando deprehenderetur, qui balneis tepidis adhibitis tardior demum factus est. Pulsus tardum ictuum LVIII. in seni solo observavi, qui cum ad pristinum valetudinis secundae statum redierit pulsus LXII. ictuum habuit. Deinde et respiratio anxia, difficilis, qua aegri nostri laborarverunt, quaeque in progressu morbi brevis, spastica, anhelosa fuit, documentum vitalium functionum laesarum exhibuit. Quem deinde physiologorum et pathologorum fugiat, et animales functiones necessario laesas esse, quum in typho acuto, summa nervorum irritatio viriumque defectus appareat, cerebri enim magna functionum perturbatio, et nimia omnium organorum corporis intentio et singularis cum defectu virium conjuncta, irritatio adfuit. Aegri in perpetuum jactantur in lecto, ex eo surgere audent sed frustra eo, quo vires non sufficiunt, tendunt, nam surrecti se tenere non valuerunt et lipothyiae proni lecto supine affiguntur. Motus deinde convulsivi, subsultus tendinum, tremor artuum, in primis linguae ex ore protensae, deliria, somnia terrentia, visa, spectra satis abundeque declarant, cerebrum nervosque perturbari ^{q)}. Prae caeteris nostro in typho acuto propensio ad inflammationes sic dictas occultas insignis fuit. Quibus omnibus adhuc sentiendi et judicandi facultatem distractam et reminiscendi et in

^{q)} PRINGLIUS I. l. fere semper initio morbi tremorem artuum observavit et constans hoc in morbo symptomata appellavit; attamen nostro in morbo hoc symptomata neque constans fuit neque in initio sed versus finem apparuit.

memoriam revocandi inertiam annumerandam esse putavi. Quum igitur nulluu signum, e quo morbus cognosci et ab omnibus aliis solum distingui possit characteristicum sese nobis manifestet, nihil relinquitur, nisi ut ex omnibus symptomatibus simul colligamus. Si epidemia adest, facile dignoscitur, eaque nos ducet, sed de contagio inferius.

§. 11.

De exanthematibus in typho acuto.

Fuerunt, qui contenderent, in typho acuto fere semper peticulas solas, nec alia exanthemata observari, contrarium typhus acutus, de quo hic sermo est, nos edocuit, ille enim varia nobis exanthemata obtulit, nec in pluribus aegris plura, sed adeo in uno eodemque aegro variae exanthematis species deprehendebantur. Reminiscor juvenis viginti circiter annos nati, imbecillis, irritabilis, febrique nervosa laborantis, cuius manus intumuerunt et singulare in scarlatina febre obvium exanthema decimo quinto morbi die apparuit, et pectus brachiaque inferiora sola tenuit, cum rubeolis perquam simile exanthema brachia superiora scapulasque et peticulae inferiora membra occuparent. Nec hoc prorsus verum videtur esse, quod nimirum typho acuto exanthema miliare, peticulae vero soli febri putridae propriae sint. Contrarium nos et morbus noster edocuit, in quo statim nonnunquam initio tum exanthema miliare, tum peticulae exortae sunt; illud autem indubitatum fore putavi, exanthemata paene cujuslibet generis, nec certo et definito tempore, sed modo muturius, modo tardius in progressu hujus febris fere semper erumpere: etenim a quarto morbi die usque ad decimum quintum exanthemata erumpi posse, observavi. Quibus autem exanthematibus aegrotis nullum oblatum est levamen, nunquam iis morbus judicatus, acciderunt tantummodo, ut diagnosis morbi certior redderetur. Nostro autem in typho tria exanthematis genera apparuerunt quorum primum exanthema peticularum fuit. Quamquam peticulae semper peiores haberentur, quoniam statum summae debilitatis vasorum, imminutamque vim vitalem seu ut lubentius dicunt, statum resolutionis sanguinis indicant; interea tamen eae aliquando quam celerrime disparuerunt, aliquando vero sensim sensimque evanuerunt, nec inde aegri in perniciem irruerunt, quum eorum alter ad

vitam sanitatemque rediret, alter diem obiret supremum. Nigras vidi nullas, sed rubras, lividas, nigrescentes (subnigras) magnitudineque valde diversas. Fere semper in pectore et dorso primum apparuerunt, sed nonnunquam et in manibus et pedibus, in primis si morbus jam diu duraverat, prius in conspectum venerunt; eae, quae crura tingebant, fere semper reliquias in corpore obvias, magnitudine longe superarunt, et densiores seminatae deprehensae sunt, nunquam vero in facie, quae tum rubore alto et profundo, livoreque splendebat, peticulas observavi. Iam supra, iis peticulis neque quicquam ad sanitatem restituendam neque ad mortem accelerandam contulisse, contendi, interea fatendum est, eas, si in initio morbi statim apparuerint, finem fere semper funestum praesagiisse, quoniam in iis aegrotis debilitas praeualuisse videbatur. Secundum deinde exanthematis genus, miliare fuit, quod peticulis rarius occurrit, nisi illud a sudoribus colliquentibus hic enumerare vis; album illud, quod alii in typho acuto observarunt, nunquam vidi, rubrum vero nonnunquam, cui saepius peticulae successerunt. Nec de hoc exanthemate (pruritu aegroterum excepto) quicquam aut laudabilius aut turpius dicere queo; eo enim aegri neque salutem neque interitum sibi acquisiverunt, febris sola omnem attentionem mereri videbatur. Tertium denique genus in maculis morbo haemorrhagico WERLHOFII similibus apparuit. Etenim nonnunquam aegri nostri, circa morbi diem IX. XIV. XVIIque exanthemate, colore pallido, subrubro, subfusco, magnitudinem lentis raro superante, aliquando vero eam antecellente, albamque cutim tingente, obruti sunt, in primis homines laxioris texturae et tenerrimae constitutionis supervenit, cum peticulae magis robustos invaderent. Ii ad haemorrhagias uteri et intestinorum proclives fuerunt, vidi enim multum sanguinis ex intestino recto effluere; ast fere semper mortem subierunt, in primis si juvenes adhuc fuerint, et veneri immodicæ indulserint.

§. 12.

Solvitur typhus acutus.

Quamvis fere omnes, qui de typho acuto scripserint auctores, illius solutionem jam primo, aut saltim secundo septenario fieri affirmaverint, eamque tantum aliquando usque ad tertium septenarium pro-

D

trahi; mihi tamen fatendum est, typhum acutum vel in bonam vel in malam partem plerumque tertio demum septenario solutum esse, et in plurimis, ubi ante decimum septimum diem se solveret, mortem insecuram esse. Nec perinde est, ac contendam, omnes, quibus solutio decimo septimo morbi die eveniret, ad salutem redisse, minime, et eodem die perierunt, sed major fuit spes salutis, si illam diem inter vivos adhuc transigerent. Typhus acutus vel in bonam vel in malam partem dijudicatus est, aegri vel sanitatem recuperarunt, vel diem supremum obierunt. Dies vero et certo criticos, quibus semper morbus solutus sit, nullos observavi, quoniam morbus et IX. et undecimo et decimo quarto et quinto et decimo septimo et vigesimo primo die morbi judicatus est, nec exempla faustissimae solutionis, quae jam nono die accidit, defuerunt, sed raro evenerunt. Itaque omnino crises in typho acuto valde ambiguae, et ita indefinitae sunt, ut vix aliquid certi ex iis colligere aut de eventu morbi praesagire et vaticinari possimus. Interea tria fuerunt genera, quibus morbi solutio evenire videbatur, quorum rationem habere necesse est. Quod vero primum attinet, urina sedimentum depositum farinaceum, aquae calcis simile, mucilaginosum, lateritium et nonnunquam subnigrum, nubecula adfuit, et cutis oleosa illi innatavit; at in eo, urinam nos falli, nec ex ea quicquam certi praedici posse, omnes medici consentiunt, et haec et nostra sors fuisset, si ex ea praesagire ceperimus. Etenim et color, et cruditas illius saepe est mutatus, et morbus idem adhuc fuit, aliquando albam, pallidam, turbidam urinam, quae deliria et spasmos vulgo indicat, nec ullos spasmos et deliria observavi, aliquando vero et deliria et motus convulsivi adfuerunt cum urina rubra et crassa et subflava. Alterum deinde genus lyseos per sudores evenit. Plurimi aegrotorum vel cute sicca arida, pergamentaque vel sudoribus nimiis laborarunt. Sudores initio morbi profusi et vix compescibiles, funestum, aut saltim tardum et ambiguum morbi eventum vaticinati sunt, hi tamen rarius, quam cutis sicca, arida neque balneis tepidis, neque ipso opii usu mollescens et madida facta, locum habuerunt. Sudor levis, modicus, naturalis, viribus parcens, fere semper optabilem habuit exitum, et is, qui balnea tepida secutus est, aegris maxime profuit; cum e contra ille, qui ope medicaminum diaphoreticorum expulsus est, fere semper iis noceret, quoniam aegrotum vires consumebantur et peticulae et exanthema mi-

liare citius provocabatur, indeque perturbatio nervorum cutaneorum, sensusque molesti exoriebantur. Interdum vero et naturales sudores nihil, aut parum profuerunt, cum morbum neque diminuerent neque commutarent, diaphoresis potius levis, matutino tempore, quovis morbi die, aequaliter per totum corpus diffusa, optabilis fuit; ea enim fere semper typho acuto laborantes recreati sunt, vultus hilaris, oculus mansuetus, aurium quies, frons serenus, situs lateralis, pulsus mollis, et validior, respiratio liberior et facilior eam plerumque sequebatur; deliria, somnia torrentia, visa et spectra, quae nimis timuerunt, metromania, *ἐκσατίς*, inquietudo, temulentia capitis, vertigo sensim sensimque evanuerunt, et oculi ante clausi, et semi-aperti, plane aperti, squalidi, puri, sicci, rite humidi, et lacrymantes, justae humoris copiae pleni, splendentes perpetuoque moti, securi et naturales apparuerunt. Diarrhoeae aquosae et ideo perniciose, haemorrhagiaeque saepius iis sistebantur sudoribus et respiratio anxia, brevis, anhelosa, et suspiriosa liberior facta est. Quamvis autem aegri ex his sudoribus sibi a natura alma sat benigne paratis, quicquam solatii caperent, plerique tamen typho acuto liberandorum, magnam adhuc debilitatem viriumque inertiam, temulentiam capitis, vertiginem, susurrum aurium, surditatem et in opiam quietis experti sunt, et a surditate, quae ipsa inter symptomata pessimi moris, meliora sperare, permisit, cum jamjam longius obambulaverint, prorsus denique liberati sunt; illa enim inter omnia symptomata tardissime aegros deseruit. Plurimi, quum ad salutem redirent, vix vivere videbantur et tanta aliquando virium inertia laborarunt, ut non solum aliis, sed et sibi ipsis alii plane viderentur ac ante morbum fuerint. Memoria, reminiscencia nonnunquam fere prorsus deleta, et extincta esse, in aliis videbatur cum e contra facultas de rebus judicandi et ratiocinandi vigorem quandam assecuta esset. Vox eorum fuit tenuis, imbecillis, interrupta. Eo modo natura plerumque bona ex parte typhum acutum solvit. Sed ad tertium genus lyseos morbi istius transeo, quod vel in ulceribus natura, aut arte factis consistit. Tumores parotideos bina tantummodo vice statimque eo, quo typhi acuti vestigia apparuerunt observavi; magnopere tumuerunt, rubuerunt, doluerunt, et tamen ad salutem aegrotorum evanuerunt, et discussi sunt, nec ullum in alio loco abscessus vestigium reliquerunt, nec meliora in pejora commutarunt. Hinc

D 2

eos quam celerrime aperiendi lex medica violata, vitam aegrotorum forsitan conservavit^r), nec quicquam certi ex iis colligi potuit. Glandulae axillares et inguinales in plurimis parum tumidae fuerunt, ast sine omni molestia, et ab alia causa aliquando acquisitae videbantur. Decubitu, vesicantibus, sinapismis suris impositis, ulcera malae indolis, gangraenosa procreata sunt, quae tamen tanquam fonticuli aegris non nunquam multum auxiliū praestiterunt, et eorum ope ad sanitatem, vitamque tantum redierunt; cum e contra, si cicatrices vulnerum re-cruduerint, fere semper mors imminet. Nullius plane remiscor casus, ubi, nisi ulcera diu suppurantia, tumores parotideos, surditatem, nimis longe post convalescentiam relictam, lentasve in valetudine secunda recuperanda progressus huc referri vis, typhus acutus in aliud morbum transiisset, sed potius vel per valetudinem secundam, vel per mortem solutus est. Mors autem in typho acuto vario modo evenit. Illa enim si homines virium inermes, venere immodica enervatos, laxantibus, venaē sectionibus, emeticis, sudoriferis imbecilles, debilesque factos invasit, per inopiam virium trucidavit; robustiores vero maxime gangraena perierunt, cum inflammationes partium internarum ob vi- rium defectum facile in gangraenam sphacelumque degenerarent et omnia viscera tam cito, ut nulla contra illum adhiberi possent medi- camina, destruerent, aut si adhuc adhibita sunt, ita tamen partes jamjam devastaverint, ut nihil salutis ab iis sperari posset. Plurimi aegrotorum inter membrorum concussions et vehementiam motuum convulsivorum perierunt, in quibus deinde vasa cerebri sanguine plena, tumida, inflammata, visceraque gangraena turbata apparuerunt. Una tantummodo vice in cerebro abscessum, saepius vero lympham effusam et exsudatam deteximus: sed nimis longus forem, si omnia solutionis per mortem genera enumerare velim, sufficient igitur haec cum reliqua et aliis febribus sint communia, nec quicquam typho acuto singulare in iis deprehendatur. Itaque ex uno signo de morbi eventu nihil certi praedicere possumus et ad complexum omnium, quamquam et aliquando nos decipiatis, ut tamen confugiamus necessarium duxi; epidemia si adest, haec dux erit et ejus indoles, et medendi ratio jamjam eruta nos juvabit; ast semper ut praecauti in istius morbi eventu praesagiendo simus, necesse est.

^r) BURSERIUS I. l. T. II. p. 139 s. 304.

§. 13.

Prognosis in typho acuto.

Nullo fere in morbo prognosis majori difficultate, quam, in typho acuto laborat, quod ex symptomatum ambiguitate et inconstantia apparet, qua deinde fit, ut et haec inconstans et ambigua maneat, donec forsan major lux in naturam nervorum, cerebrique functiones, et contagii indolem nobis affulgeat. Hoc vero certum et indubitatum est, typhum febrem acutam, plerumque e contagio exortam, ideoque malignam esse. Typhus acutus noster, quamquam permulti, si in primis sistema nervosum libidine rebusque venereis debilitatum, et nimis irritabile, vel viscera laesa adfuerint, eo laborantes, perirent, tantam tamen non habuit malignitatem, quanta illi vulgo tribui solet. At permulti etiam ad vitam sanitatemque redierunt, et quamvis et robusti et firmi eo correpti sint, fere tamen semper justa debilitans causa, quae occasionalis audit, ut puerperium, ira, moeror, amor haud felix, et sors infausta homines inopinato et repente afficiens locum habuit, qua nervi irritati, longius affecti, brevius sed fortius concitati contagio obnoxii redditi sunt, et omnes deinde illos motus praeter naturales ediderunt, quos aegri tristes experti sunt. Verum ob inflammationes sic dictas occultas typhus acutus sexui potiori, majori, quam posteriori fuit periculo; illae enim facilius in illo, quam in hoc exortae sunt, et maxime perniciosae fuerunt. Iuvenibus, viribus instructis, robustis, floridis morbus perquam periculosus fuit, nec tamen iis pepercit, qui fibrarum laxiorum textura et tenuitate, quique morbis praegressis, vigiliis, studiis nocturnis labefactati sint, quoniam tum ob virium defectum, tum ob anni tempus, stadium nervoso-putridum non procul ab iis fuit. Signa autem mala in typho acuto obvia in cute arida et sicca vel in sudoribus profusis, pessima in frigidis, viscidis sudoribus ponenda sunt, dejectiones per alvum immodicae, aquosae, crudae, incompescibiles, noxiae; lividae et sanguineae, cruentae, pestiferae; urina pallida, alba, jumentosa, purulenta, subnigra mali ominis; subsultus tenditum, spasmus omnis generis, animi defectiones, tristitia, mortis timor, lipothymiae crebrae, tremor artuum, linguae porrectae, vel impotentia eam protendendi, jactitatio capitis, crura divaricata, e lecto humi pendentia, mala; decubitus aegri supinus, fere plumbeus seu perpetua in-

inquietudo et conatus e lecto surgendi, quos lipothymiae insecurae sunt, fere semper mali; livor genarum, collum pectusque nigrescens, oculi rubri, turbidi, valde depresso, rigidi, splendentes, stupidi perpetuo mobiles, susurrus, sonitusque aurium, vox imbecillis, praecipitata, interrupta, tristis; surditas minus timenda erat, quam susurrus sonitusqne aurium, quoniam illa a sola debilitate, hic vero a debilitate et a nimio sanguinis versus caput affluxu et inflammatione pendere videbatur. Lingua deinde fissa, incisa, sicca, arida, atra; labia nigra, muco flavo obducta, dentes atri, squalidi, male olentes non raro malum praedixerunt eventum. Deglutitio difficilis, capitis dolores, deliria maxime furiosa, pulmonum affectio, peripneumonia quae-dam, (nervosa) sputa cruenta, purulenta, gangraenosa, excrementorum invito et inscio aegro effluxus, enteritis, haemorrhagiae uteri et intestini recti, depositio materiae malevolentis, ichorosae, odor cadaverosus nonnunquam tertio quartove ante mortem die ortus, gangraenam et sphacelum intestinalium indicans, exitium jure timere sinunt. Pulsus celer, parvus, debilis, instar fili metallici digitorum tactui sese manifestans, mutabilis, vacuus, ictus 120-160 intra minutae spatum absolvens, habita reliquorum signorum ratione, perniciosus; Peticulae et miliaria nihil, neque in bonam, neque in malam partem mutarunt, nisi illas lividiores et nigrescentes, quae raro tamen apparuerunt, hic enarrare vis; cum e contra maculae morbo maculoso haemorrhagico similes, quas fere semper ob inflammationem et gangraenam intestinalium mors insecura sit, pessimi moris essent. Non omnia enarrem signa, quae, si ad ultimum vitae terminum venit, comparent et aliis febribus sunt communia, in his potius acquiescam. At reliquum est ut ea nunc signa, quae felicem morbi eventum praesagiant, enumerem. Etenim si cutis, neque arida et sicca est, neque sudores profusi adsunt, ea potius levi tantummodo diaphoresi per totum corpus aequaliter diffusa gaudet, alisque dejectiones modicae, facile compescibiles, urina rubra, turbida cum sedimento conjuncta, purulenta, stranguriosa, pura, flava atque sensim sensimque naturalis facta est, boni fuit omnis. Stupor, vini usui cedens, dolorque capitis, pectorisque, medicaminibus vesicantibus adhibitis evanescens, inter bona fuerunt signa; nec debilitas sola timenda est. Laetabilis fuit deliriorum defectus, animi constantia, functionum cerebri sensuumque externorum parva aut

nulla perturbatio, viriumque mensura modica; pulsus mollis, plenus, vel etiam inaequalis, parvus, debilis, si modo cardiacis et nervinis adhibitis in meliorem commutatus est; lingua humida, seu in media parte tantum sicca, in marginibus vero humida, surditas, oculi tranquilli, quamquam sordidi; respiratio liberior, abscessus natura, aut arte facti, gangraena a decubitu exteriorum partium, coccygis, surarum interdum spem melioris aegri conditionis fecerunt, spasmorum finis, animi hilaritas jucunda, et *ἐκσαστις* formitanda; aegrotorum spes redditus in vitam et fides de medici et adstantium integritate vitae et artis non parum adjuverunt. Haec signa bona fuerunt.

§. 14.

Causae typhi acuti.

Notitiam causarum, e quibus morbi suam capiunt originem, ad obscura, et nondum sat accurate definita pertinere, inter omnes constat. Mirum igitur non est, cur causae hanc febrem, de qua hoc loco sermo est, procreantes, adhuc in occultis lateant, nec ita definitae et erutae sint; ut earum ratione habita, febri ipsi secure et felicissime mederi possimus. Dolendum vero est, ut, quamvis catalogum causarum in quovis morbo obviarum delineemus, easque e serie enumeremus, easdem tamen non amplius indagemus, sed in iis enarrandis acquiescamus. Inquiramas igitur eo lubentius in illas, quo minus certum sit, utrum typhus acutus e causis illis, quae a nobis proferantur et e conflictu earum initium suum capiat nec ne? Forsan nobis contingit, nonnulla firmiora et certiora hac in re ardua et difficili et nostris testimentiis reddere et dubia adhuc ad probabile majus perferre. Nec animus mihi est, aliis persuadere, eas, quas proferam causas, ubique ad typhum procreandum valere et in quocunque typho acuto causas esse sufficientes, veras, unicas nec alias alio loco, et regione dari, et necessario peti, urgerique; persuasum mihi potius habeo, aliis locis, regionibus et urbibus et alias adesse res, et materias, e quibus causae typhi acuti et contagium illud pestiferum evolvi atque explicari possint. Videtur autem hac in re gravi et ardua necessarium, ut causarum in primis occasionalium rationem habeamus, quae cum causis praedisponentibus, morbi proximam gignere videantur; complexus igitur causarum et

morbis decursus est, qui ad causam proximam illius, ut concludamus permittit. Liceat nunc pro viribus eas proferre causas, quae vel in morbi decursu naturae perscrutanti apparent, vel ex medicaminum usu, vel denique e cadaverum, ex ea febre mortuorum, disquisitione instituta, colligi possunt.

§. 15.

Causae typhi acuti praedisponentes.

Quum omnia, quae corporis robur imminuunt totumque nervorum systema debilitant et ad facilem irritationem primum reddunt, homines ad typhum acutum proclives faciant, a pathologis harum rerum nocivarum ratio haberetur, necesse fuit; quippe quae non solum sensim sensimque veneni instar vires consumerent, sed et uno quasi ictu eas deprimarent, interdum autem fulminis ictus instar extinguerent ac prorsus delerent. Quarum quidem virium seu potestatum nocentium cognitio tam parva adhuc est, ut, quamquam copia rerum et virium nocivarum a veteribus traditarum, a recentioribus libris mandatarum memoriae statim succurrat, indeoles tamen earum et modus neque ab intellectu comprehendendi, neque definiri queat, quo corpori et nervorum systemati infestus fiat. Hic locus et occasio foret, plura de Lipsiensium more vivendi, de aquis, aere, victu amictuque, de potu et luxu etc. disserendi, sed, cum plures harum rerum, in salutem Lipsiae jamjam rationem habuerint^{s)}, nolim iis longius inhaerere. In eo autem fere omnes, qui in naturam incolarum urbis nostrae inquisiverunt, consentiunt, eos a natura plerumque imbecilliores, corporis laxi, fibrae tenuioris et sanguinis attenuati, ideoque etiam ad morbum, de quo hic sermo est, prinos esse. Ast omnino non omnes incolae urbis nostrae debiles, imbecilles et facile irritabiles nati sunt, nonnulli eorum sibi ipsi hanc debilitatem consciscunt, viresque et corporis et animi, quibus eximie pollut, infringere solent. Inter omnes vero causas, quae nervorum debilitatem inducunt, physica educatio huc et illuc neglecta eminet; cum enim obedientia erga parentes pueris puellisque jam a

^{s)} Legantur digni sunt DAEHNE diss. de aquis Lipsiensibus Sect. I. II. Lips. BRAUNE I. I. SCHWÄGRICHEN Topographiae Lipsensis botanicae et entomologicae Spec. I. et II. Lips. 1799. et SCHMIEDLEIN G. B. Beyträge zur physischen Topographie der Stadt Leipzig. L. 1799.

prima infantia ita sacra non facta sit, ut parentibus et familiaribus libenter morem gererent, et sibimet ipsis imperare, et aliorum consiliis sese subjicere cuperent, effectus etiam hujus mali moris evitare non poterant. Libidines omnis generis nutrire cupiunt, vita sedentaria, ludis scenicis, lectione librorum lascivorum, lusu chartarum, venere immodica, cum vix ac ne vix quidem ex ephebis excederent, tempus terunt, nervisque summas inducunt injurias. Exardescit phantasia, et omnia ea moliuntur damna, quae e deliciarum intempestivo et nimio usu et abusu in corpus redundant. Nolim vero haec ita interpreteris, ac si nulla obedientia ac virtus nostrae juventuti sacra sit, et educatio physica ab omnibus omnino parentibus negligatur. Neutquam, novi viros integros, scelerisque puros, matres, parentes pios et juventutem solatium futuri temporis futuraeque generationis prosperae, sed quod caput rei est, et tamen a plerisque negligitur, in eo consistit, quo infantis animus maturior corpori adhuc infantili et tenerrimo praeest, et in perniciem posterioris, ille excolitur prior. Quibus quidem studiis adolescens, quindecim vix annos natus, saepius non parvam sibi conciliavit eruditionem ac doctrinam, et inter cives academicos eminuit, sed corporis vires infregit, et de malis, de quibus senes soli aliquando conqueruntur, jam conquestus est. Lipsienses igitur haud raro animum nutrire videntur, ut corpus hebescat, illudque pathematibus destruatur. Victor vilis, vigiliae, studia nocturna, venus immodica, venae sectio-nes crebrius repetitae, morbi praegressi longinqui; evacuationes nimiae tanquam causae typhi acuti genesi inservientes accusantur. E medicorum fere omnium, qui hic medicinam fecerunt, consensu, pro vero habetur, inde ab eo tempore, quo influenza anno 1781 Lipsiam migravit, omnibus fere morbis characterem nervosum impressum esse, et Cel. BRAUNE^{t)} typhi jamjam anno 1796 hic grassantis mentionem fecit. Frigus hiemis anni 1799, lignorum, anonae, obsoniorum, carnisque caritas, multitudo hominum, aliquando humili, parvo, impuro domicilio inclusa, aer mephiticus, qui tum ob consuetudinem, tum ob caloris amoenitatem et lignorum caritatem, non raro per menses non immutatus est, usus solani tuberosi frequentissimus, potus instar Coffeae e fabis tostis, Cichoreo, pisis sativis, Beta vulgari,

^{t)} I. I. p. 36. *typhus ex neurilematis rheumatica vel erysipelacea inflammatione ortum du-*
cens vel potius pluribus in casibus methodo gastrica exoriebatur.

Dauco Carota, aliisque paratus, inopia aut abusus spirituosorum, animi pathemata, moeror, tristitia, amor haud felix, posterior apud nos non infrequens febrium nervosarum, et melancholiae, et maniae causa, regiones paludosae versus occasum sitae, ventus Auster et Zephyrus non parum ad typhi acuti ortum contulerunt. Inprimis vero inundationes, quae mense Martio evenerunt, cum nives liquefierent et e cloacis et sterquiliniis multifariae aeris irrespirabilis species explicarentur, et deinde e fossis aqua abundantibus, et ex aquis in partis ad occasum stagnantibus materiae variae, ipsae obfactum male affientes, evolverentur, nervoso systemati abnoxiae fuerunt. Vires vero tunc citius decreverunt, quando ventus Austro-Zephyrus flabat, quam vento Euro-Borea flante, ubi, si praecipue cito inter sese invicem mutabantur, inflammationes sic dictae occultae et oppressiones pectoris maturius apparuerunt. Quamquam febres intermittentes, quotidianae tertianae, et quartanae nunc incolis nostrae urbis tantum non struant cladem, quantam olim, nec frequentia earum adsit, quae olim; certum tamen est, eas in regione circa portas Randstadienses, ob situm hujus quatrantis urbis profundum et ob lacum ante portas, nec non ob materias e fossis, lacubus et pratis, aqua stagnante obrutis, explicitas et evolutas et adhuc originem suam fere semper capere. Qua in re et ratio ponenda est, cur senatus venerabilis urbis nostrae, qui saluti civium optime prospicit, consilium ad lacum ante portas Randstadienses exsiccandum cepit. In suburbio Randstadiensi primus aegrotorum, typho acuto laborantium deprehendebatur, qui cum ad vitam sanitatemque rediisset, aliis, illi opem opem ferentibus morbum impertivit. Quo facto quatrantem Randstadiensem urbis invasit, ubi sensim sensimque plures a typho acuto correpti sunt, donec demum et altiores urbis nostrae partes supervenit. FRANKIUS ["]), pater affirmavit, similes istarum febrium, inter animalium caeterorum species, epidemias praecedere aut sequi, talem inter feles Catos tempore autumnali et hiberno 1798 et 1799 observavi, ubi in qualibet urbis platea, feles e febre cum angina laryngea conjuncta, vere acuta, et nervosa mortuae deprehendebantur. Feles, si aegrotare inceperunt, tristes, cauda depressa incedebant, neque cibum, neque potum appetebant, nulla tamen quiete, nullo prorsus somno recreabantur, inquietudine summa

^{#)} 1. I. p. 94.

cruciantur, horrorem percipiebant, aestum persentiebant, deliriis vexabantur, hilares saltabant, anxie dolebant, flebant, clamitabant alta voce; motus convulsivi, subsultus tendinum, spuma ante os, tussis vehemens et crebra, anxia et sonora respiratio, multa sitis, difficilis deglutitio, nullus ciborum appetitus, faicum et laryngis inflammatio haec insequebantur; quae quidem inflammatio saepenumero solam laryngem, interdum vero et pharyngem, oesophagum et ventriculum tenuit. Numerus autem animalium ex ea febre nervosa cum inflammatione laryngis conjuncta, mortuorum, non parvus fuit; sectiones inflammationem testatae sunt, morbus igitur anginis malignis annumerandus videtur esse. Ast in his omnibus nihil fere certum est, cum neque mixtionem et conditionem aeris, qui tanta moliri possit damna, neque modum, quo illa struat, rite exploratum et definitum habeamus. Num nervi principio narcotico et stimulanti, et plus et minus solito vim vitalem erigenti, aut nervorum mixtionem et structuram chemice alternanti gaudeant, nos adhuc prorsus fugit. Haec tamen certa sunt, quaecunque, ad debilitatem corporis et nervorum irritationem nimiam ducant, et generi febrium nervosarum, typhique acuti maxime inservire.

§. 16.

Causa occasionalis.

Quum typhus acutus neque viribus inermi et debili, neque robustissimo hominum, pepercerit, sed omnino omnes ab eo correpti sint non possum non a partibus eorum stare, qui contendant, causam illius occasionalem in contagio seu miasmate aliquo ponendam esse. At quoniam modo illud contagium procreatur, et qua in re consistat, et quomodo febris illa producatur, nos prorsus fugit. Nonnullae observationes me docere videbantur, causam occasionalem nonnunquam in re aliqua sistema nervosum gravissime afficiente et nimis irritante, totumque corpus debilitante poni oportere. Vidi enim typhum acutum latentem, partu peracto, uno quasi ictu prorumpere, infestissimasque corpori struere clades, vidi, a refrigerio, ira, terrore homines ita affici, ut latens, si quicquam contagii adfuerit, miasma, per febrem nervosam acutam sese nunc manifestaret et serpentis instar proreperet, morbumque accenderet. At non ausus sum, in ista animi nervorumque

E 2

affectione causam solam febris nervosae acutae quaerere, quae ad typhum acutum gignendum non sufficere videtur: nam alioquin necessarium esset, ut omnes debilitati, et a rebus externis irritati, eo laborarent, quod tamen fieri non solet. Itaque ea sententia mihi potius arridet, qua asseritur, contagium in actum quasi cieri ista nervorum vehementi perturbatione, animique affectione. Experientia enim edocti sumus, alterum, cum alter aegrotorum ad sanitatem rediret lectumque desereret, in lecto sese tenere coactum esse, et ab ea febre non solum adstantes, sed et custodes et aegris opem ferentes, abreptos esse. Paludum exhalationes putridas, versus occasum urbis nostrae explicitas et evolutas, ad typhum gignendum non parum contulisse, et saepenumero causam occasionalem praebuisse, indeque forsitan illum solum exiisse, a probabili non alienum est. Etenim juvenis mihi notus est, qui sanus et incolumnis domo exiret paterna, et in via Lindenavia calidiori Zephyro flante obambularet, ille post redditum ad lares paternas statim ita ab ea febre abreptus est, ut lectum tenere cogeretur. In utramque vero viae Lindenaviae partem, et ultra eam, plures paludes et aquae stagnantes caloris ope evaporabantur. Alii deinde aere retento, incluso, mephytico aegrotarunt, aliisque jam aegri, gravius perturbati sunt, nisi aer quotidie emendabatur et renovabatur. Verum contagium in quadam aeris conditione, et mixtione chemica ponendum esse, nec aeri innatate, fere semper judicavi, illique singulari aeris mixtioni, vis nervos ita irritandi, ut motus praeter naturales cieantur, videtur inesse, quorum deinde et sensorium commune particeps fit. Halitui hac febre laborantium, magna typhum acutum et in alias propagandi vis infuit, et notum est nosocomia, carceresque immundicie, et aere incluso et retento celebres, nonnunquam civibus, et ipsis judicibus, pessimas edidisse strages.

§. 17.

Causa proxima.

Quum naturam, indolemque typhi acuti non ita perscrutati simus, ut morbi ipsius cognitio nobis contingere, omnia, quae de causa proxima, tanquam fonte typhi acuti proferam, ad probabilia tantummodo redibunt. Symptoma typhi acuti princeps in debilitate poni solet, eamque igitur causam proximam plerique auctorum constituerunt.

Dixerunt autem, eam debilitatem, quae semper in isto morbo prae ceteris appareret, ex causa occasionali, ex contagio nimis enim enasci, quum et robustissimi ab illa febre liberi evadere non possent. Ast multum abest, ut in hac sola debilitate causa proxima ponatur; nam alioquin et superato morbo, ubi fere semper non parva debilitas adfuit, cum instar phthisicorum, si ad ultimum morbi stadium pervenerint, convalescentes obambulaverint, typhus acutus adesse deberet; nullos tamen tunc motus febriles inveni. Altera igitur pars causae proximae, in nervorum vasorumque irritatione et sensorii communis perturbatione collocanda est. Haec debilitas una cum irritatione conjuncta et ubique apparuit, et ea cerebri, et pectoris, et abdominis vasa magnopere laborare videbantur. Quo deinde factum est, ut inflammatio sic dicta occulta, extravasatio humorum, dolor capitis, deliria, lymphae effusio et gangraena exorirentur. Quam quidem sententiam et disquisitiones cadaverum ex ea febre mortuorum, firmorem et certiorem reddere videntur, itaque de his quaedam adhuc monenda sunt.

§. 18.

Sectio n e s.

Quum jamjam disquisitionis cadaverum ex ea febre mortuorum, supra mentionem fecerimus, proprius nunc ad eam accedamus, quanisi novi et inauditi quicquam alias edocemus, nostris tamen testimoniis ea, quae ab aliis sunt detecta, certiora reddimus. Omnes autem, qui cadavera, ex febre nervosa acuta mortua inciderent, nec infectionem timentes, partes totius corporis attento perlustrarent oculo, saepe inflammationem, exulcerationem, abscessus, gangraenam cujuscunque partis corporis offendit, contendunt. BURSERIUS ^v), MORGAGNIUS ^w), JAMES LINDIUS ^x), PRINGLIUS ^y) et LIEUTAUDIUS ^z) in corporibus ab ejusmodi febribus consumptis, cerebri, medullae spinalis ejusque tunicarum, nec non pectoris et abdominis viscerum inflammationes,

v) I. l. T. I. §. 439. 441. §. 450. ss.

w) I. l. Epist. VI. et VII.

x) On fevers and infection übers. in den Samml. z. Gebr. f. pr. Aerzte II. Band. Leipzig.

y) I. l.

z) I. l.

F

exnlcerationes, abscessus, gangraenam et sphacelum inveniri, docuerunt. Non semper tamen abscessus in cerebro cadaverum ex ea febre necatorum deprehendi, ex observatis nostris elucet. Etenim in plerisque accurate institutis cerebri disquisitionibus, cum una tantummodo vice, abscessum in dextro haemisphaerio, ad dimidii fere pollicis magnitudinem detegeremus, fere semper vasa cerebri et maxime membranae vasculosae, sanguine referta et tumida apparuerunt; ventriculi cerebri quatuor aqua abundarunt, et interdum etiam sanguinis copia extravasati adfuit. Substantia vero corticalis inflammata, seu marcida, et flaccida, et vasa cerebri non amplius firmiter, sed tantummodo leviter cum eo connexa et concreta erant. Pulmones saepissime destructae deprehendebantur, inflammatae, exulceratae, gangraenosae, multa lymphae exsudatae copia obductae, aeris plenae, ut, si digitis premerentur (ratione nimirum temporis post mortem habita) crepitum ederent. Cor, vasaque majora vel sanguine vacua, pallida, collapsa, marcida, vel turgida, tumida sanguine atro, polypos in se continentia in conspectum venerunt; cum in primis vasa lymphatica cordis majori lymphae copia referta, ampla et dilatata fuerint. Hepar inflammatum (maxime pars illius concava) marcidum, flaccidum, multo sanguine plenum seu pallidum, sanguine carens inveniebatur. De liene idem valuit, sed rarius, fere semper intactus deprehendebatur. Accidit etiam, ut uteri, vesicae urinariae, glandulae prostatae, et reliquarum glandularum in primis earum, quae in mesenterio sunt, intestini recti, et coli inflammationem, et gangraenam observaremus. Uteri vesicaeque urinariae inflamatio, et gangraena maxime in iis, qui libidinibus flagitiosis et veneri immodicæ incubuerint, conspicua fuit. Una tantummodo vice omnem sanguinis copiam intestino recto, et particulae coli, tanquam sacco inclusam, vidi, viscus tam solito amplius, latius, crassius, densius, glandulis tumidis refertum apparuit, et omnia corporis vasa, exceptis iis mesenterii et intestinalium crassorum, quae tumuerunt, vacua, collapsa, pallida, fuerunt. Hyatydes non solum in plexu choroideo cerebri, sed et in aliis visceribus, ubi nimius adfuit sanguinis affluxus, interdum invenimus.

T h e s s.

Vita humana processus mere chemicus non est.

Vita status coactus dici potest.

Absque irritamentis externis nulla vita locum habere videtur.

Nulla medicina universalis, nec Reichii medicamen antifebrile hanc
sibi dignitatem vindicabit.

ERRATA.

- p. 1. eorum . . l. earum mole
- p. 5. Callenius . l. Cullenius.
- p. 8. lacrymantes l. lacrymantes.
- p. 12. studium . l. stadium.
- p. 16. companatur l. componatur.
- - igitor . . l. igitur.
- - proveris . l. pro veris.
- p. 19. pallati . . l. palati.
- p. 24. tempore . l. tempore.
- - muturius . l. maturius.
- p. 28. remiscor . l. reminiscor.
-

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

III/9/280 JG 162/6/26

H. Sax Hob

